



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

Sect. 1. Vtrum res creatæ aliquid vere efficiant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

matur pro virtute per se sufficiente ad effectum, quæ vicem supplet illius causæ, quæ illam impresit, sic res est clara, vñ in impetu projectorū, gravitate, &c. Tamen in instrumento proprio, quod eleuari debet ad agendum superiorem effectum, vt est semen, v.g. illud est intellectu difficilissimum. Sed huius rei expositio, multa prius explicanda postulat, quæ in sequentibus disput. tradentur.

DISPUTATIO XVIII.

De causa proxima efficiente, eumq. casualitate & omnibus, quæ ad causandum requirunt.

IN superiori disputatione fere cæcum declarauimus, quid nominis causæ efficiētis, & plurium specierū ac modorum eius: nunc oportet distinctè tractare omnia, quæ ad hanc causam pertinent, per ea capita, seu membra, quæ in aliis causis attingimus, scilicet, quæ res causet, quid causet, per quid, seu quo principio causet, quas condiciones ad causandum requirat, ac deniq. in quo actualis casualitas huius causæ consistat. Quæ omnia possent quidem de causa efficiente in communi tractari, tamē, maioris claritatis gratia, visum est, hæc omnia prius in causis creatis, quæ nobis notiores sunt, inquirere, postea vero differere de causa prima & increata, ac tandem de dependentia cæterarum ab ipsa. Non distinguimus autem tractationem de causa efficiente substantiarum & accidentium, quoniam, vt videbimus, hæc ita coniuncta sunt, vt substantiarum productio non nisi mediis accidentibus fiat. Et eadem ratione non separamus disputationem de causa principali & instrumentali, quoniam tractando de causa proxima efficiente, cui per se & proprie actio tribuitur, simul videndum est, quibus principiis, quibusq. instrumentis ad efficiendum vtatur.

SECTIO I.

Vtrum res creata aliquid verè efficiat.

IN hac re fuit vetus sententia asserens res creatas nihil operari, sed Deum ad præsentiam earum omnia efficere: tribui autem actionem igni, aquæ, &c. propter apparentiam, & quia Deus veluti pepigit non efficere tales effectus, nisi ad talium rerum præsentiam. Hanc opinionem referunt Averroes 9. Metaph. com. 7. & lib. 12. comm. 18. & Albertus 2. Phys. tract. 2. c. 3. & D. Thom. 3. cont. Gent. c. 69. & 1. p. q. 105. artic. 5. & in 2. d. 1. q. 1. art. 4. nullum tamen certum auctorem pro ea referunt: in eam vero inclinare videtur Philo lib. 2. Allegoriar. dum ait, Deum esse vnicam causam efficientem, & lib. de Cherub. & flam. glad. dum ait, proprium esse Dei efficere, creaturam autem pati. Sed hæc facile possent per Antonomastiam intelligi, sicut & alix Philosophorū locutiones, quas postea referemus, agentes de actione Dei. Soler etiam hæc opinio tribui Petro Aliacensi in 4. d. 1. art. 1. in fine: ibi tamen aperte fatetur, causas secundas vere ac proprie agere virtute propria, & ex natura rei, ac non sola voluntate Dei: addit tamen simul verum esse, creaturam nihil facere, nisi ex voluntate Dei, & ipso etiam faciente, imò & faciente, vt ipsa faciat: & consequenter plus etiam Deo faciente, quam si solus faceret: quæ pertinent ad necessitatem diuini concursus, & possunt verum & falsum sensum habere, vt postea in propria disput. videbimus: magis autem fauet huic opinioni Gabr. in 4. d. 1. q. 1. artic. 3. dub. 3. vbi hanc sententiam reputat probabilem, & in fauorem eius asserit illa verba 1. ad Corint. 13. Deus Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

operatur omnia in omnibus: & 2. ad Cor. 3. Non quod simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Ipse tamen non audeat illam sententiam asserere.

Fundamentum pro hac sententia nullum video, quod sit alicuius momenti: præcipuum tamen fuisse videtur, quia quantum efficientiæ tribuitur creaturæ, tantum adimitur diuinæ potentiæ creatoris, nam vel Deus operatur omnia, vel non: hoc posterius derogat diuinæ efficacæ: vnde infra ostendemus esse omnino falsum & erroneum, quia implicat aliquod esse, & non pendere à Deo. Si autem Deus omnia efficit, interrogo rursus an immediatè, & sufficienti virtute, an mediatè tantum, & insufficienti virtute. Hoc posterius derogat diuinæ perfectioni. Si autem primum verum est, superflua est omnis alia efficientia, quia vna causa sufficiens & efficax, satis est ad effectum. Vnde, cum natura nihil faciat frustra, nullam virtutem operandi contulit rebus creatis. Et confirmo, nam quidquid ponatur Deus facere cum causa secunda, poterit facere se solo, nam hoc saltem spectat ad infinitam virtutem eius, vt infra patebit: ergo de facto ita facit. Patet consequentia, tum quia hoc magis decet diuinam virtutem & efficaciam: tum maxime, quia hoc videtur necessarium vt creatura fiat. Quod ita probō, nam creatura à solo Deo habet essentialē dependentiam, cum sine illo fieri non possit, & sine quocumq. alio fieri possit: ergo non potest esse creatura sine hac essentiali dependentia, quā à solo Deo habet, quia non potest esse sine his, quæ essentialia sunt, ergo omnis creatura est per dependentiam à solo Deo: ergo est per efficientiam solius Dei, nam efficientia & dependentia vel sunt idem, vel sunt correlatiua: ergo nulla creatura habet efficientiam in aliam, & consequenter nulla est causa secunda, quæ aliquid efficiat.

Secunda sententia negat creaturas corporales posse quicquam efficere, sed de spiritualibus id concedit. Hanc refert D. Thom. citatis locis ex Auicenna in lib. Fontis vitæ, qui dicebat nullum corpus esse actiuum, sed quandam virtutem spiritualis substantiæ intimè existentem in corporibus efficere omnes actiones, quæ per corpora fieri videntur. Fundamentum eius fuisse videtur, quia agens esse debet intimè præsens passio: corpora autem non possunt ita sibi esse præsentia, nam quæritas impedit illum intimum illapsum vnius rei in aliam, quem actio requirit. Vnde aiebat quantitatem non solum non esse actiuam, verum etiam actionem impedire. Et confirmatur, quia substantia corporea est infima omnium, & dissimillima primo agenti, & ideo nec inferiorem habet substantiam sibi subiectam, in quam possit agere, nec similitudinem potest habere ad Deum in agendo. Quare Augustinus 5. de Ciuitat. c. 9. expressè dicit, corporales causas non esse inter causas efficientes numerandas.

Tertia sententia fuit, res corporeas posse efficere accidentia, non tamē substantias, spirituales autem substantias creatas, posse efficere aliquas inferiores substantias. Hanc refert ibidem D. Tho. ex Auicenna lib. 1. sufficient. c. 10. & lib. 9. suæ Metaphys. c. 4. & 5. Qui in ea re videtur duos errores habuisse. Vnus est, quod vna substantia creata spiritualis potest creare aliam, nam prima causa increata solam vnam intelligentiam, eamq. perfectissimam immediatè efficit, illa vero creat secundam, & secunda tertiam, & sic vsque ad infimam. Alter error asserit hanc infimam substantiam spiritualement infundere substantiales formas in materiam dispositā à proximis agentibus corporalibus, quæ substantiales formas efficere non sufficientiunt. Fundamentum eius quoad priorem partem fuit, quia ab vno non est nisi vnum proximè & immediatè. Quoad posteriorem vero, quæ ad rem præsentem magis spectat, quia hæc agentia corporalia nihil agunt, nisi mediis accidentibus, quæ sunt insuf-

II.
Rationes
precedens
sententia.

III.
Secunda
sententia.

IV.
Tertia sen-
tentia.

li
ficien-

ficientia principia ad efficiendas formas substantiales. Et confirmat hoc, quia experimento constat multas substantias generari, quæ non habent proximas causas sufficientes ad introducendas tales formas, ut cum generantur animalia ex putrefactione, ob dispositiones accidentales, quæ casu seu fortuito concurrunt: ergo signum est esse quasi paratam aliquam spirituales virtutem superiorem ad inducendas formas substantiales, quoties dispositiones accidentales sufficienter concurrunt: ergo ab illa virtute fiunt omnes generationes substantiales.

*Prima assertio de efficientia causarum
creatarum.*

V.

Dicendum tamen est primò, agentia creata verè ac propriè efficere effectus sibi connaturales, & proportionatos. Quam veritatem non tantum sensu & ratione existimo esse eidentissimam, sed etiam iuxta doctrinam Catholicam, certissimam. Vnde, si- cut ob priorem causam oppositam sententiam Diui Th. stultam appellauit, ob posteriorem, vocare possumus temerariam & erroneam: ideòq; meritò rei- citur ab omnibus Philosophis, & Theologis: Aristot. enim quamuis nunquam oppositam sententiam expresse reulerit, aut refutauerit, tamen ubiq; ut eui- dentissimum supponit naturales causas aliquid face- re. Imò omnes antiqui Philosophi, quorum opinio- nes ipse refert 1. Phys. & 1. Metaphys. & alibi sæpe su- ponunt causas naturales aliquid efficere, & ideo la- borant in explicando, quid, & ex quo facere pos- sint, cum ex nihilo nihil fiat. Plato etiam, quem su- periori disputatione ex Damasceno citauimus, hoc sensu vocat causas naturales instrumenta primæ causæ, quia virtutem habent agendi ab illa deri- atam & de- pendentem. Quo sensu dixit etiam Trismegistus mû- dum esse instrumentum Dei, & ab eo semina acce- pisse, ut omnia producat. Et eodem modo Philo lib. de congressu querendæ eruditionis causa, dixit Deum huic infimo generi rerum permisisse seminare, atq; gignere. Quos Philosophos secuti sunt Commenta- tor, & alij posteriores. Ex Patribus vero August. lib. 3. de Trinit. cap. 7. 8. & 9. videtur in modo loquendi dictos Philosophos imitatus, dum ait, *indidisse Deum elementis, & aliis causis creatis seminales rerum rationes.* Quæ nihil aliud sunt, quam principia actiua & passi- ua generationum & motuum naturalium, quæ Deus posuit in rebus creatis, ut eleganter exposuit D. Tho. 1. p. q. 115. art. 2. & in 2. d. 18. q. 1. artic. 2. vbi Durandus, Heruæus, Egid. & alij: & Capreol. in 1. d. 42. artic. 3. Rursus idem Augustinus 7. de Ciuit. c. 30. de Deo lo- quens ait: *Sic omnia, quæ creauit, administrat, ut etiam ipse proprios exercere & agere motus sinat.* Quam senten- tiam confirmat & celebrant Scholastici omnes, vbi- cunq; vel de causarum efficientia, vel de hominis li- bertate disputant, qui videri possunt citatis locis, & in 2. d. 1. vbi præsertim Durand. q. 5.

*Experimen-
to probatur
assertio.*

Et probatur primò experientia, quid enim sensu notius, quam quod Sol illuminet, ignis calefaciat, a- qua refrigeret? Quod si dicant experiri quidem nos fieri hos effectus præsentibus his rebus, non tamen fieri ab illis: plane destruunt omnem vim Philoso- phicæ argumentationis, quia nos non possumus aliter experiri dimanationem effectuum ex causis, aut ex effectibus causas colligere. Et huic experientiæ at- testatur communis consensus & vox omnium, qui ita de rebus his sentiunt. Secundò argumentor ab incommotis, nam iuxta illam sententiam non pos- sunt viuientia à non viuientibus distingui, quia non magis haberent res quædam principium suarum ac- tionum, quam aliæ. Deinde frustra natura dedisset diuersis reb⁹ varias qualitates & virtutes, quas in eis experimur. Imò neq; ex actione possemus huiusmo- di qualitatum varietatem in elementis colligere, & consequenter neq; in aliis rebus. Nam, si ignis nō ca-

lefacit, sed Deus ad præsentiam ignis, æquè natura- liter posset calefac. et e ad præsentiam aquæ: ergo ex il- la actione non possumus magis colligere ignem esse calidum, quam aquam. Si enim Deus æquè consen- taneè ad rerū naturas potuit pacisci de calefaciēdo ad præsentiam aquæ, ponamus id fecisse, tūc non liceret ex calefactione colligere aquā esse calidam: ergo nec nunc possumus inferre esse frigidā, aut ignem calidū.

Dicere potest aliquis pactum illud non fuisse o- mnino arbitrarium, sed fundatum aliquo modo in naturis rerum, non quia illæ actiue sint, sed quia ha- bent qualitates similes producendis: & ita colligimus ignem esse calidum, eo quod Deus calefacit ad præ- sentiam eius, quia hoc pactum fundatum fuit in tali qualitate ignis. Sed hoc non potest Philosophicè di- ci, tum quia eadem ratione iuxta naturas rerum de- buisset Deus producere albedinem ad præsentiam albedinis: quia si ex se non est magis actiua qualitas calor, quam albedo: ergo ex natura ei non est magis debitum pactum illud calori quam albedini. Et idē argumentum fieri potest de quacunq; alia qualitate, imò & de quantitate, & de substantia, & de quacunq; re. Tum etiam, quia illud non habet locum in causis æquiuocis, in quibus non est similis forma vel quali- tas, neq; est necessariò eminentior, si illæ nihil sunt a- ctuæ. Præterea, iuxta illam sententiam superflua sunt terræ dispositiones, pluuia, arationes, cælorum motus, &c. si hæc omnia nihil agunt, sed sufficiunt ad esse triticum, ut Deus ad præsentiam eius triticum generaret, & sic de rebus aliis. Præterea sit simile ar- gumentum ex variis organis & instrumentis, quibus Deus composuit corpora, præsertim viuientia, nam sicut quædam ex ipsa dispositione apparent apta ad recipiendum, ita etiam alia sunt ad agendum, quæ omnia essent superflua, si hæc res nihil agerent. Deni- que hæc de causa optimè dixit Aristot. 2. de celo. c. 3. & 1. Ethicorum c. 7. *Omnia esse propter suam operati- nem*, quare nihil magis repugnat institutioni rerum, & fini earum, quam omni efficientia carere. Præter- ea, si res create nihil agerent inter se, ex natura rei omnes essent æquè incorruptibiles, quia ab agente creato nihil pati possent: frustra ergo Deus tot mo- tus cælorum, tantamque causarum multitudinem ordinasset, ut hæc rerum inferiorum species per gene- rationum & corruptionum successiōem diu con- seruariantur: facilius enim permanerent perpetuò eadem res à principio create, si Deus ipse nihil cor- rumperet, quia res ipsæ inter se non secum pugna- rent, nec se corrumperent. Similia multa incommo- da possunt facile excogitari, ex quibus intelligitur, totum naturæ ordinem contra illam sententiā pu- gnare.

Tertiò est ratio à priori, quia habere vim agendi non repugnat rebus creatis, sed potius est maximè con- sentaneum perfectioni earum: ergo cum Deus præ- condiderit vnāquamque rem in natura sua perfe- ctam, negandum non est tales creasse res, quæ ha- beat connaturalem virtutem agendi. Antecedens probatur, quia non omnis virtus agendi requirit per- fectionem infinitam: ergo sufficere virtus finita crea- turæ, ut efficacitatem aliquam habere possit. Ante- cedens patet, quia nulla probabilis ratio persuadet necessitatē infinitæ perfectionis ad omnem actio- nem. Quin potius, ut infra videbimus, multum la- borant Theologi, ut rationem inuenirēt, quæ pro- ber ad creandum requiri infinitam virtutem: ada- lias ergo actiones & mutationes non requiritur talis virtus, præsertim in his agentibus, quæ non agunt absq; dependentia à superiori.

Dices, in hoc ipso reperiri repugnantiam, scilicet, quod sit agens, & dependens in agendo à superiori agente: & ideo requiri infinitam virtutem in omni agente, quia si agit, sola sua virtute agit, & absq; de- pendentia ab alio. Quæ obiectio tangit fundamen- tum contrariæ sententiæ, de quo dicendum est infra.

*Trismeg. in
dial. 9. Sin
Pimand. c.
16. in fin.*

*Absurdum
opposito cō-
clusionis.*

infra tractando de necessitate diuini concursus: nūc respondetur breuiter, negando assumptum: sicut enim non repugnat esse, & dependenter ab alio esse, ita non repugnat agere, & dependenter ab alio agere. Curenim? An quia repugnat eandem actionem simul esse à pluribus causis totalibus? At hoc falsum est, si illæ causæ sint diuersorum ordinum, & essentialiter subordinatæ. Quocirca tantum abest, vt hæc efficientia causarum secundarum deroget diuinæ efficacitati, vel auctoritati, vt potius illam maximè commendet & declaret. Nam, vt D. Thom. suprà argumentatur, ita communicauit Deus suam creatis rebus bonitatem, vt eis etiam dederit inclinationem & vim ad communicandum aliis id, quod de bonitate ipsius Dei participant, vnicuique impertiendo iuxta capacitatem suam. Quia, vt ad hoc propositum dixit Plato in dialog. de Natur. Bonus est Deus, & luore non tangitur, neque vlli inuidet: & ideo omnia fecit bona, sibi quæ similia in appetitu se communicandi, iuxta caput suum. Vnde quædam se materialiter communicant, alia formaliter: non ergo repugnat, quod etiam efficienter se communi-

dependentiam, nisi à Deo. Et hoc est verum, quia ex vi huius non excluditur, quin de facto, vel secundum aliquem modum productionis possit habere dependentiam à Deo, & ab aliqua creaturâ, vt per se constat.

Ex principiis supernaturalibus eadem assertio tractatur.

xi.

Hactenus tractata est philosophicè conclusio posita, quia vero diximus etiam habere certitudinem iuxta fidei doctrinam, patet de hac parte adiungere necesse est. Colligitur ergo hæc certitudo primò ex modo loquendi diuinæ Scripturæ, Genes. 1. Germinet terra herbam virentem, & Producat terra animam virentem: vbi Basil. homil. 9. adnotat ex vi horum & similium verborum accepisse res naturales efficaciam continuo efficiendi rerum generationes & corruptiones, quod latius prosequitur Ambros. li. 3. Exam. à cap. 8. & libro 5. & 6. fere per totos. Vnde Marci 4. ait Christus: Alnus cecidit in terram bonam, & dabit fructum, &c. & infra: Vltro terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum, & Lucæ 21. Arbores cum producant iam ex se fructum, &c. & Sap. 16. miraculo tribuitur, quod ignis suæ virtutis oblitus, iustos & indumenta eorum non consumpserit: & ibi tribuitur aqua, quod omnia extinguat, & draconibus, quod venenatos habent dentes ad occidendam, & diuinæ potestati tribuitur, si interdum ab his actionibus impediatur. Præterea sunt aliæ veritates fidei, quæ sine hoc principio subsistere non possunt. Prima ac præcipua est veritas liberi arbitrij, quod nõ nisi in vi & modo agendi consistere potest, vt infra ostendemus. Vnde Concilium Trident. sess. 6. can. 4. damnat dicentes, liberum arbitrium creatum nihil omnino agere, mereri, patiue se habere. Qua definitione plane damnat primam sententiam suprà relatam, & nostram conclusionem definit. Et (quod à fortiori rem conuincit) non solum in naturalibus operationibus, sed etiam in supernaturalibus: seu gratiæ operibus liberis, vult Concilium habere efficientiam humanam voluntatem. Ex quo obiter intelliguntur illa testimonia, quæ Gabriel in cõtrarium afferebat, in quibus specialiter sermo est de operib. gratiæ, quæ ita tribuuntur Deo vt primariæ causæ, vt non excludatur cooperatio nostra. Nam in eodẽ loco ait Paulus, & nos non esse sufficientes ex nobis, & sufficientiam nostram ex Deo esse. Et qui in vno loco ait Deũ operari in nobis, in aliis ait cooperari nobiscum, & nos esse cooperatores gratiæ Dei.

xii.

Nec minorem efficaciam habet ratio, quæ ex efficientia actus peccati desumitur: nam si causa secunda non efficit, sed Deus ad præsentiam eius nos non facimus volitiones malas, sed Deus solus eas nobis infundit ad præsentiam obiectorum: quod est blasphemum & erroneum, non solum quia tunc non liberè peccaremus, sed etiam, quia tunc non à nobis, sed à Deo peccaremus. Præterea sumitur optima ratio Theologica ex definitionibus Conciliorum circa Incarnationis mysterium, quibus docent esse in Christo duas operationes, duosque operandi principia, seu operatrices virtutes, de quibus legi potest Damascen. 3. lib. de Fid. capite 15. Quæ omnia & similia vera esse non possunt, si in natura creata nulla vis est agendi. Tandem ex creatione animæ rationalis nascitur optimum argumentum: quia iuxta contrariam opinionem non minus verum est, hominem generantem creare animam rationalem, quam ignem generare ignem: quia, sicut Deus ad præsentiam ignis facit ignem, & actio tribuitur igni, solum quia est conditio sine qua non, & qua posita Deus infallibiliter facit: ita Deus ad præsentiam humani seminis creat animam infallibiliter, & non sine illa conditione. Consequens autem est error in fide.

II. Igitur, quod Aliacus suprà dicebat, plus scilicet agere Deum efficiendo cum causis secundis, quam si se solo omnia efficeret, præsuppositiue (vt ita dicam) verum est, formaliter autem falsum, id est, si causa secunda aliquid efficit, supponitur Deus & effecisse ipsam causam secundam, & communicasse illi perfectionem actionem, in quo suam potentiam magis ostendit, & deinde agit cum causa secunda, quidquid ipsa agit: & ita præsuppositiue plus agit. At vero per ipsammet actionem, quia cum ipsa causa secunda agit, non plus, neque æqualiter agit, quam si se solo ageret, quia non applicat totam efficaciam necessariam, vt solus agat. Vnde in tali modo agendi quāuis agat sufficienti virtute in ratione causæ primæ, non tamen sufficienti in omni genere. Neque hoc est imperfectionis in Deo, quia non est ex indigentia, aut impotentia eius, sed ex voluntaria & prudentissima applicatione virtutis suæ. Quo sensu verum est etiā, quod Aliacus aiebat, nempe causas secundas nihil agere, nisi ex voluntate Dei: requirunt enim, vt infra dicemus, concursus Dei, quem Deus non necessitate, sed voluntate præbet: illa tamen voluntas non est omnino absoluta (seclusis miraculis) sed est accommodata naturis rerum, & quasi ex quodam debito iustæ distributionis: & ideo hoc voluntariū non impedit, quo minus huiusmodi efficientia sit simplici naturalis rebus creatis. Sicut etiam ex voluntate Dei habent ipsam virtutem agendi, non tamē ex voluntate omnino superaddita, & quasi mere gratis adiuncta illi voluntati, qua vult tales creaturas esse, sed sunt connexæ hæ voluntates iuxta naturale debitum & connexionem ipsarum rerum. Vnde quod voluerit Deus ignem calefacere, & aquam frigidare, non est mere voluntarium, sed suo modo debitum, ex suppositione quod voluerit tales res creare. Loquimur autem de vi agendi connaturali, nam de supernaturali & infusa, alia est ratio, quæ ad nos non spectat. Atque ita simul probata est conclusio posita, & solum fundamentum prioris sententiæ.

X. Quod vero in confirmatione tangitur de essentiali dependentia, infra in disputatione de creatione ex professo tractandum est: nunc solum dico committeri æquiuocationem in illa propositione: Creatura essentialiter pendet à solo Deo: potest enim intelligi illa propositio positiuè, & negatiuè: positiuè intellecta reddit hunc sensum: Creatura essentialiter postulat pendere à solo Deo: & hoc non est verum, in vniuersum loquendo, licet fortasse de aliqua actione, vel de aliqua re ob specialem conditionē id possit verificari: quod spectat ad speciales quæstiones de creatione, vel de gratia, &c. Negatiuè autem intellecta, sensus illius est, quod ratio creaturæ vt sic non postulat essentialiter

Secunda assertio.

XIII.

Dico secundò: Non solum substantiæ incorporeæ, sed etiam corporeæ habere possunt Physicam & veram efficientiam. Hæc sequitur ex præcedente, eadem fere demonstratione & certitudine: nam experientia, rationes, & testimonia adducta tã de causis naturalibus & materialibus, quam de immaterialibus procedunt. Imò, si de efficientia per actionem transeuntem sermo sit, notius & euidentius nobis est corpora agere, quam incorporeas substantias. Quare nihil in huius conclusionis cõfirmationem addere oportet. Neq; fundamentum contraria sententiæ vilius est momenti, quia vt vnum corpus agat in aliud, non est necesse, vt penetratiue sit simul cum illo in eodem loco, sed satis est, quod sine sufficiẽter propinqua, vt ipsa experientia ostendit, & inferius latius declarandum est. Quocirca, quamuis quantitas non sit actiua, non tamẽ omnino impedit actionem. Sicut materia etiam non est actiua, non tamen impedit actionem formę. Ita enim videtur quantitas ad qualitates comparari, sicut materia ad formam. Vnde neutra impedit, sed potius confert suo modo ad actionem, si non agendo, saltem sustentando, & conaturali modo applicando principium agendi. Ad confirmationem autem respondetur, substantiam corpoream secundum se totam non esse in infimo ordine, neq; summẽ distare à Deo, sed solum secundum materiam primam, & ideo de illa fatemur nullam habere propriam vim agendi: at vero secundum formam habent corpora maiorem perfectionem, & similitudinem ad Deum: & ideo secundum illam habere possunt vim efficiendi. Augustin. autem in citatis verbis loquitur de causis efficientibus, quæ se aliquo modo agunt, id est, quæ dominium habent suarum actionum, & sese possunt applicare ad agendum. Sic enim ait: *Corporales cause, quæ magis sunt quam faciunt, non sunt inter causas efficientes numeranda, quoniam hoc possunt, quod ex ipsis faciunt spirituum voluntates.*

Augustinus quid efficientiam negat corporibus.

Tertia assertio.

XIV.

Dico tertio: Quamuis causæ creatæ non possint efficere substantiam secundum se totam, seu per se primò, possunt tamen ex substantiali materia præsupposita, substantiam generare, educendo substantialem formam. Hæc autem efficacia corporalibus potius causis, quam spiritibus creatis tribuenda est. Prima pars huius assertionis est certissima, quia causæ creatæ non possunt aliquid creare, vt agentes de creatione ostendimus: substantia autem per se primò, ac secundum se totam, non potest fieri nisi per creationem, non enim potest fieri ex præsupposito subiecto, quia toti substantiæ nullum subiectum supponitur, cum sit ens per se completum: ergo necessariò fieri debet ex nihilo, atq; adeo per creationem. Et hinc est, quod substantia spiritalis creata non potest aliam sibi similem, vel in specie, vel in gradu procreare, quia talis substantia cum sit simplex in essentia, & non potest nisi per creationem fieri. Et eadem ratione materialis substantia quoad materiam nõ potest effici à causa creata, siue incorporea siue corporea: & hoc sensu dicimus substantiam secundum se totam ac per se primò, id est, quoad totam entitatem, & nihil substantiæ supponendo, non posse effici à causa creata, sed de hac re plura in sequentibus dicenda sunt.

XV.

Forma substantiales à corporeis suppositis sunt.

Secunda verò pars conclusionis de educatione formæ substantialis per propriam efficientiam causarum secundarum non est tam euidentis & certa, sicut sunt superiores de efficientia absolute, quia effectio huius formæ minus sensibilis est, ideoq; minus nota nobis, quam efficientia accidentium, & quia in hac efficientia explicanda, non parua est difficultas, vt scilicet sequi videbimus. Nihilominus est hæc pars probabilior,

præsertim absolute sumpta, & non descendendo ad particulares modos explicandi hanc efficientiam. Et probatur primò, quia sicut videmus ignem calefacere, ita & generare ignem, & Solem producere mineralia, & terram actione etiam Solis germinare herbas, &c. Secundò, quia cum hæc res non fiant per creationem, sed per generationem, neque ex parte rei factæ, neque ex modo quo fit, requiritur virtus infinita ad eam effectiõnem: ergo talis virtus non excedit capacitatem causarum creatarum: ergo est illis communicata à prima causa, estq; illis connaturalis. Sed de hac parte plura in scilicet. seq. non enim potest exactè probari & defendi, nisi prius modus huius efficientiæ declaratur.

Tertia vero pars conclusionis, nimirum quod hæc efficientia non sit spiritibus creatis tribuenda, ex eo patet, quod sunt improporionati ad huiusmodi actionem: causa autem corporales sunt magis proportionatæ & accommodatæ. Inter res autem creatas nõ satis est, qd aliqua sit magis perfecta, vt possit efficere minus perfectam, nisi aliunde constet eam eminenter cõtineri: spiritus autem creati, licet sint perfectiores quam corpora, tamen cum sint limitati ad proprium gradum, & singuli ad proprias significantes perfectiones, non continent eminenter res corporeas, & cum non sint formæ in materia, sed omnino abstractæ, improporionatæ sunt ad formas in materia inducendas: de qua item redicemus plura infra, tractando de intelligentiis creatis, vbi ostendimus eas nec substantiales formas, nec qualitates posse in corporibus efficere: neq; enim possunt ad nutum suæ voluntatis corpora alterare. Quod si hoc non possunt, multò minus poterunt in materiam, formam substantialem inducere, nam qui virtutem nõ habet disponendi materiam, multò minus habere potest vim eam informandi. Agentia vero corpora cupossunt materiam alterare ac disponere, magis proportionata sunt, vt eam possint informare, vel educendo ex ea, vel in eam introducendo substantialem formam, iuxta formæ capacitatem & qualitatem.

Ad fundamentum ergo Auicennæ quoad priorem negamus à prima causa solam vnam intelligentiam, vel vnum effectum potuisse progredi, quia prima causa non agit naturæ necessitate, vt ad vnum effectum sit determinata, sed est intellectuale agens, habens in se infinitarum rerum exemplaria, quarum effectiõnem sua voluntate, & arbitrio definit. Fundamentum autem secundi erroris postulat difficultatem ad sequentem scilicet. pertinentem.

SECTIO II.

Quodnam sit principium quo substantia creata efficit aliam.



Simul querimus de principio principali, & proximo, seu instrumentali, quia vnu sine altero satis explicari non potest. Constat autem primò ex dictis sermonem tantum esse de corporali causa, quia creati spiritus nullam substantiam efficere possunt, vt dictum est. Rursus cum in substantia creata sint materia, forma, & accidentia, constat secundò apud omnes materiam non esse principium huius effectiõnis: principium (inquam) quo, seu formale, nam principium quod suppositum est, sicut in cæteris actionibus: suppositum autem materiale licet constet materia, & forma, & substantia, ac præterea habeat accidentia, tamen vim agendi nõ habet à materia, quæ actiua non est, vt sæpe diximus. Substantiæ autem mentionem non facimus, quia illa solum est modus quidam & terminus naturæ, præcedens quidem naturaliter omnem actionem, non tamẽ per se conferens vim ad agendum, vt latius infra tractando de substantia dicemus. Tota ergo controuersia